



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Respondetur argumentis Caietani. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

(vt Calet. docet in opusculo de Analogia) proxime ipsa in analogata denotat; sequitur in omnibus modis intrinsecis prædicamentorum, etiam in ipso ad, intrinsece includi rationem *en*, quæ hoc nomine *accidens*, significatur; sicut etiam ratio entis in omnibus differentiis substantiæ continetur, ita, vt nulla differentia possit sine ratione entis, quod omnia transcendit, cogitari.

Aur dicimus, nomen accidens significare vniu-
uersum nomen prædicamentum, vel saltem tria præci-
pua ex illis, aut, si placet, dicamus esse genus ad il-
la, vtrique etiam non tam rectè sunt opinati, ni-
hilominus ratio illa ad prædicamentum realis non
potest finis aliqua ratione in cogitari. Nam acci-
dens, quod penitus vniuocū, & genus ad tria illa,
vel nomen prædicamentum, debet esse completū,
præter quod datur etiam ratio accidentis incom-
pleta, quæ de omnibus differentijs, & modis in-
trinsicis illa prædicatur, vt essentialiter illis cōue-
nit, peque cum illis compositionem faciat; illa
ergo ratio ad, semper includit rationem in, siue li-
cet hac voce ad non exprimat, non potest ea au-
tem non statim intellectu apprehendi.

Tertio id ipsum experimento constat, nam audita hac voce *ad*, non potest nisi intellectus concipere ordinē vnius ad aliud; iam ergo apprehenditur ordo, vt est alicuius & ad aliud; vt autem est alicuius, habet rationē *in*, ergo nullo modo sine ratione *in* ratio *ad*, potest cogitari, aut certe donec illud *ad* concipiatur esse alicuius, nullam conceptionem rei est vox in nostro intellectu efficere potest, vt cuique competum est. Quamvis ergo illa vox *ad*, non ita expresse significet rationem *in*, quia tamen ita connexæ sunt ratio *ad*, & ratio *in*, vt *ad* sine *in* cogitari nequeat; si vt audita voce *ad*, non possit non apprehendi ratio *in*, contra vero audita voce *in*, non statim apprehenditur ratio *ad*, quia ratio *in*, latius patet, & non omnis forma, quæ est in alio, est ad aliud, sicut contra omnis ratio, quæ est *ad* aliud, est etiam in alio; includitur enim ratio *in* in ratione *ad*, sed non contra.

Hæcenus probatum est rationem *ad*, quæ est prædicamentalis realis esse realem & essentialiter in se ipsa includere rationem *in*; iam vero de relationibus diuinis eo-lem modo dicamus, eas videlicet non solum esse reales secundum totam suam rationem, sed secundum rationem etiam *ad*, quod estem rationibus seruata proportionem probari possit. Estamen obseruandum illud, quod disput. 121. cap. 2. explicauit: nempe rationem *in*, quam intrinsecè in suo conceptu includunt relationes diuinae, non esse totum essentialiam & substantiam Dei. Nam si includamus substantiam & essentialiam Dei, resultat iam integra persona; ratio autem non est tota persona, sed ratio constitutus personam.

CAPVT III.

Responderur argumenti Caietani.

Ad testimonium S. Thomæ, quod pro se affert Caiet. respondeo, S. Thomam nunquā dicente realiter *ad*, quæ peculiaris est prædicamentum reali, esse communem reali & rationis, sed loquum fuisse de voce, *ad*, secundum totam analogiam suam: hæc enim nō exprimit rationem, neque aliud reale, cum communis sit secundum analogiam reali, & rationis: ideoq; dixit, peculiariter esse huic prædicamento reali relationis,

Vezquez in l. partem Tom. II.

eius rationem formalem significari nomine communienti rationis, & reali, quod alijs prædicamentis non conuenit. Nomina enim quibus significatur modus peculiaris aliorum, denotant solum rationem vere realem; quia nulla est quantitas, nec qualitas rationis: hinc tamen non fit, rationem peculiarem huius prædicamenti realis relationis esse communem relationi reali, & rationis: sed ipsam significari nomine communi. Quare cum ait, S. Doctor art. 2. prædicamentum relationis secundum propriam rationem solum significare formam affisitentem, intelligit secundum nomen commune *ad*, non significari formam inherentem expressè, cum commune fit relationi rationis & realis, quales vero fuerit error Gilberti explicabitur disput. 120.

De mente autem Boethij libr. de Trinitate in medio, cum afferit ad aliquod non prædicari de Deo, aliter censendo dicendū, quam existimavit S. Thomas, ait enim, Boethium considerasse solum relationes secundum esse ad, quæ ratione tantum sunt affiteres, & hoc pacto negasse in Deo relationes, quæ verè affiterent non sunt: alius tamen sentio ex verbis eius perspicue colligitur. Nam de prædicamentis Deo cõparatis hic philosophatur: Primum quidem afferit, tria prædicamenta, substantia, videlicet, quantitas, & qualitas verè Deo convenire, ita tamen, vt in eo solum significant substantiam, imò super substantiam; nam Deus substantia alter dicitur bonus, sapiens, & magnus; secundò ait, sex vltima prædicamenta eodem modo Deo esse tribuenda, sicut de creaturis dicuntur, in modum scilicet formæ intrinsicæ adiacentis, & esse in loco, esse in tempore. Tertiò subiungit, prædicamentum relationis Deo non convenire, cur creaturis: his enim convenire potest extrinsecò aliquo, & in aliena natura adveniente, & eoriam pereunte perire; at Deo esse nequit relatio adveniente aliquo intrinsicè, sed intra eandem naturam confurgit; & propterea divinam relationem appellat identitatis, & simili. In divinis relationem, non quia hæc relatio, quam vocamus similitudinis & identitatis, fit solum in Deo, aut in eo sit realis; sed quia relationes reales, quæ sunt secundum originem, sunt in eadem & omnino simili natura: de illis vero relationibus æqualitatis, identitatis, & similitudinis, quæ Deo convenire curant, non sint reales, dicemus disp. 167.

Verum enimvero alia ratione Augustinus hæc
omnia prædicamenta Deo comparat, quinto de
Trinitate, cap. 8. & 9. & sequat enim primo sub-
stantiam & relationem propriè de Deo prædica-
ri, hoc est, nomina horum prædicamentorum
propriè Deo conuenire, tamen, vt ostendi supra
disput. 22. Deus in nullo fit prædicamento; nec
oppositum uoluisse docere Augustinum, cap. 4.
demonstrari: dicuntur ergo illa duo nomina, sub-
stantia uidelicet, & relationis propriè de Deo, non
metaphoricè, licet non uimocè, vt ibidem latè
ostendi; quia relatio in Deo, etiam si sit substan-
tia, rectè & propriè relatio dicitur. Secundo docet
Augustinus: cætera omnia prædicamenta dici so-
lum translatiue & metaphoricè de Deo, præter ac-
tionem & passionè, de quibus postea dicemus:
probat uero inductione. Nam Deus propriè non
dicitur quantus, nec qualis, quia substantia sua
quantus & qualis est. Putat ergo differentiam esse
inter hæc duo & relationè, quod relatiue, etiam si

42

re sit substantia; propriè dicitur relatio: at quantitas & qualitas, non propriè dicuntur de substantia Dei, & ita dicit Deum bonum sine qualitate, & magnum sine quantitate. De situ & habitu inquit, metaphoricè dici, quia situs est dispositio corporis in loco, ut stare & sedere: & idèd metaphoricè Deus dicitur sedere super Cherubim. Habitus vero est, ut vestitum esse, quod Deo non potest, nisi metaphoricè convenire: quo pacto dicitur *amicus lumine*. Idem de ubi & tempore, quamvis hæc duo non ita aptè, sicut alia metaphoricè dicantur. Tertio docet de actione, eam propriè de Deo prædicari, sed passionem nullo modo, neque metaphoricè adhuc: quia Deus propriè dicitur agere, contra vero fieri, aut pati, nullo modo: sed hoc intelligit secundum substantiam & essentiam suam, nam personæ produci dicuntur, & origines etiam earum dicuntur passivæ. Qua vero ratione hæc doctrina Augustini non sit contraria doctrinæ Boethij, satis liquet.

12.

Ratio ob quam sub solo genere relationis, sit ens reale & rationis, Canarian.

Rejicitur.

13.

Quæ illius rationem assignet, Caietan.

Refutatur ratio.

Porro quare dixerit S. Thom. peculiare esse generi relationis, sub eo aliquando esse realem relationem, aliquando per solam rationem, non autem alijs generibus, ut substantiæ, quantitati, & qualitatibus, variè explicant discipuli eius. Canarian. in commentario huius articuli concedit, alia genera præter relationem aliquando habere esse per rationem: hoc tantum inquit, esse per accidens quando nimirum substantia, quantitas, & qualitas solum habent esse obiectivum in intellectu sine existentia reali: at vero relationem aliquam ita habere esse per rationem, ut hoc ei per se conveniat. Nescio tamen quare hic author appelleret esse per intellectum, seu esse rationis illum esse obiectivum substantiæ, aut quantitatibus, aut qualitatibus, quæ aut aliquando realiter sunt, aut potest esse. Nam esse rationis cõmuniter dicitur, quod solum obiectivum potest esse in intellectu, in re autè nequit esse, quo pacto invenitur aliqua relatio rationis: nunc autem inquirimus causam, ob quam sola relatio habere potest esse huiusmodi per intellectum, non item substantia, quantitas, aut qualitas.

Caietanus vero bifariam respondet, primum concedit, non solum in genere relationis inveniri aliqua, quæ solum habeant esse rationis, sed etiam in genere substantiæ, quantitatibus, & qualitatibus, est enim in genere substantiæ homo imaginarius, quantitas etiam, aut qualitas omnino conficta esse potest. Addit tamen, esse discrimen inter hæc entia rationis & relationes, quod relatio, etiam si sit per rationem, dicitur simpliciter relatio, at substantia, qualitas, seu quantitas non dicuntur simpliciter talia, quando solum sunt per intellectum conficta. Hæc tamen solutio Caietani mihi non placet, quoniam tam substantia, quam qualitas, & quantitas confictæ per intellectum, ut ponuntur à Caietano, hoc est, obiectivè solum apprehensæ ab intellectu, verè & simpliciter dicuntur tales, quoties propositio non denotat existentiam rei. Nam qui apprehendit in hyeme rosam, sine additamento dicere potest, illam esse verè rosam, & sic de qualitate & quantitate, secus quidem quam si propositiones significarent existentiam. Porro autem entia obiectivè solum existentia in intellectu non sunt dicenda entia rationis vlllo modo, sed existere solum per rationem: nam ens rationis non dicitur, quod habet veram essentiam possibilem, & ut tale apprehenditur: sed id cuius

tota essentia per solum intellectum apprehenditur, nec re ipsa vlllo modo esse potest. At quilibet homo apprehensus, & qualibet qualitas & quantitas, verè est possibilis: dicitur ergo potius ens reale, quàm rationis, non quidem existens, sed possibile. Quare responsum Caietani firmum fundamentum habet.

Altera ergo solutio Caietani mihi probatur, tam enim, tam quantitatem & qualitatem, quàm substantiam apprehensam solum, & non existentem esse verè ens reale, licet actu non existat, quia habet essentiam realem possibilem, relationem vero rationis esse omnino ens rationis, & nullo modo reale, quia nunquàm talis relatio esse potest in rebus, nec vllam habet essentiam realem possibilem, sed sola apprehensione potest esse: hoc enim verè & propriè dicitur ens rationis.

Sed obijciat aliquis contra hanc solutionem in hunc modum. Inter entia rationis præter relationem connumeratur negatio & privatio, quæ cum non sint entia vlllo modo realia, à nobis tamen veluti entia cogitantur & apprehenduntur, & ideo entia rationis nuncupantur: negatio vero est ens impossibile, ut chimæra, quæ etiam ad modum cuiusdam substantiæ ex varijs compactæ intelliguntur: est igitur substantia aliqua omnino rationis, sicut relatio; privatio etiam cogitatur ad modum forme, & qualitatis afficientis subiectum; ergo est etiam qualitas ratio, sicut relatio. Respondent aliqui, eam esse differentiam inter relationem rationis & una parte, & negationem, seu privationem ex alia, quod relatio ita fit per rationem, ut fundamentum habeat in re, nec pro libito eam intellectus confingat, sed à rebus ipsis cogatur eam relationem in ipsis apprehendere: at vero ut apprehendatur privationem, aut negationem ad modum entis, nec habet fundamentum in re, nec cogitur vlllo modo, sed pro libito confingat.

Verum hæc solutio mihi non probatur, quoniam licet intellectus non sit determinatus, realitatem huius potius, quàm illius substantiæ, aut qualitatis cogitet negationem, & privationem, tamen sua natura talis est, ut pro hoc statu nequeat ad modum substantiæ concipere; hoc autem habet fundamentum naturale in nostro modo cognoscendi, nec pro libito fit, sicut etiam relatio rationis in rebus, quas denominat, & à quibus dicitur denominatio ens, non alia ratione dicitur fundamentum habere, nisi quia res illas intellectus noster pro hoc statu ex modo suo cognoscendi non potest alio modo nominare & apprehendere, quàm relate. Adde, quod licet intellectus pro libito confingere posset substantiæ & qualitates, relationes vero non pro libito, sed necessitate eas concipiendum cogere, non propter hoc debuit sanctus Doctor, hoc esse peculiare generi relationum, ut aliqua sit per intellectum, eum in genere substantiæ, vno aut alio modo substantia rationis reperitur.

Respondeo ergo, ea peculiari ratione id debuisse à sancto Thoma, quia cum proprium ens sit intellectus sit comparare, & referre unum ad aliud, etiam si ipsa inter se seipsa non referant, proprium erit intellectus non solum concipere res aliquas absolutas per modum relatarum, sed

etiam ipsas actus suo referre, cogitando vnam cum ordine ad aliam: at licet apprehendat negationem ad modum substantiae, priuationem ad modum qualitatis, & de illis philosophetur, & loquatur, ac si essent entia quaedam, & ob id dicantur entia rationis, nimirum solum ab intellectu habentia esse: tamen intellectus ea apprehendens, non dicitur habere actum aliquem, quo dicatur aut substantificare, aut qualificare, (vt ita loquar) & propterea non dicitur facere substantiam rationis, aut qualitatem rationis: sicut dicitur facere relationem, quia actu suo illa refert, quae non ferantur. Vnde discrimen oritur inter relationem, & priuationem, seu negationem: quia haec duo nec dicuntur entia, nec substantia, nec qualitas, sed dicuntur entia rationis, quod si qualitas, aut substantia vocari deberent, non absolute, sed cum additamento rationis vocanda essent, at relatio rationis sine additamento dici consuevit relatio: quia non solum vna res ad aliam refertur ex se ipsa: sed etiam intellectus refertur dicitur, & actus intellectus, relatio, & comparatio absolute nuncupatur. Et haec dicta sufficiant circa testimonium S. Thomae, quo videtur Caietanus pro sua sententia: cum quibus etiam, quaedam alia difficulta, quae dixit idem doctor Sanctus, obiter explicata manent.

Ad rationem pro sententia Caietani in capite 1. allatam respondeo, rationem ad quantumvis abstractam, & praecisam nunquam sine ratione in posse cogitari, quia omnis ratio ad aliquid, tametsi nomen ad non ita exprimat rationem illam in, vt cap. 2. explicabimus.

DISPUTATIO CXV.

Vtrum relatio rationis fiat solum operatione intellectus, an etiam aliarum potenciarum.

Quid sentiat Scotus. cap. 1.

Quomodo relatio rationis fiat per intellectum.

CAPVT I.

Quid sentiat Scotus.

Caietanus in commento huius articuli putat, Scotum in ea fuisse sententia, vt assereret, relationem rationis fieri non solum per operationem intellectus, sed etiam per operationem cuiusque alterius facultatis conferentis vnum cum altero, qualem putat esse voluntatem, quae vnum vult propter aliud, & refert ad aliud: quam sententiam optime ipse Caietanus impugnatur hac ratione. Quia relatio rationis est vere ens rationis, sola ergo operatione intellectus, & rationis nostrae fieri debet.

Verum opinio Scoti longe abest à praedicta sententia, ille enim in primum d. 45. quaest. 1. ad vltimum argumentum vt ostendat, quia ratione res voluit a Deo ab aeterno referantur, tantum inquit, aut refertur relatione rationis, quam intellectus diuinus sibi format; aut potius relatione quadam consergente, ex operatione ipsius voluntatis diuinae. Hanc vero docet Scotus nec esse realem, quia non inest extremis suapte natura: nec rationis, quia non fit per intellectum, aut aliquam facultatem, quae sit formaliter ratio, sed mediam

quandam inter realem & rationis, Affirmat ergo, hanc mediam relationem consurgere ex operatione alterius facultatis, quam intellectus, quae sententia sano modo explicata verissima est, vt sequenti capite monstrabimus.

CAPVT II.

Quomodo relatio rationis fiat per intellectum.

Superest, vt ostendamus, quo pacto fiat relatio rationis, & an aliqua relatio, quae postea fit per rationem, ante operationem intellectus initium aliquod habeat in re. Dico ergo primo extrinsecam denominationem non esse relationem inhaerentem rebus, quas denominat.

Secundo existimo, ante intellectus operationem non esse realem aliquam denominationem ab aliqua re, aut forma extrinseca. Quia denominatio cum sit nominis appellatio, est etiam opus rationis, & res quae absoluta in se est, si relate denominatur, ab intellectu relate eam concipiente denominatur: nomina enim à nobis imposita sunt vt id, quod de rebus concipimus, significamus: quare concedere denominationem aliquam extrinsecam realem ante quemcunque intellectum contradictionem implicat in adiecto: nam si est denominatio, est alicuius intellectus expressio. Ob hanc eandem causam dicemus infra disp. 120. cap. 6. esse actum distincta per intellectum, quae ex natura rei non distinguuntur, quoties videtur diuersis nominibus non synonymis, ad ea significandum.

Tertio, nihilominus ante intellectus operationem est in rebus forma aliqua, vel res realis, & quae intellectus sumat denominationem relatum. Cum enim parietem visum appellat, ex visione, quae ad parietem terminatur, ipsum relate etiam denominat: & sic de omnibus alijs. Hic tamen obseruandum est, aliquando vtrumque extremum denominari ab aliqua forma relatiua eodem modo: hoc est, eodem nomine; alterum quidem intrinsece, alterum vero extrinsece: vt cum paries dicitur dexter à dexteritate animalis. Aliquando vero opposito modo, vt paries visus à visione, quae quidem denominat videntem illum, in quo est, non autem denominat visum: contra vero denominat parietem visum, non videntem. Nonnunquam etiam denominatio relatiua ducitur ab aliquo extrinseco, non relatiuo, sed absoluto: vt de bonitate & malitia morali suo loco dicemus: & scientia Dei, seu voluntas relate dicitur ad creaturas, & omnipotentia similiter, etiam si talis forma relatiua non sit alicubi intrinsece: vt notauimus disput. 104. cap. 4. Hac ratione dici consuevit esse denominationem relationem realem, extrinsecam tamen, sed ipsam relationem esse rationis: non quia denominatio actu fiat ante intellectum & realis illa sit, sed quia forma vel res, aqua sumitur, realis est, & extrinseca rei denominatae. Eadem de causa dicimus fundamentum relationis rationis esse à parte rei ante intellectum. Ex qua doctrina notauimus supra q. 14. art. 15. in fine commentarij, diuina attributa, quae aeterna sunt, connotare respectum rationis, non quia ab aeterno sit intellectus qui formet huiusmodi relationes, nam diuinus, vt statim probabitur, eas non facit, sed quia ab aeterno est sufficiens in Deo, & in rebus